

Casus Moralis II

Canutus, sacerdos, occasionem nactus simplicitatis Columbarum, huic diabolice persuadit actus turpes inter se patrandos peccata omnino non esse. Columba, igitur, ita sibi persuasum est actus turpes omnino culpa vacare, ut se committat libidini Canuti. Accidit tamen quod Columba, post paucos dies, eundem Canutum accedit ad confessionem suam apud illum peragendam; sed cum ipsa de peractis actibus turpibus omnino in confessione sileat, Canutus, quamvis certus sit Columbam alium confessarium prius non accessisse, illam absolvit. At nunc cum Canutus stimulis conscientiae angariatur, parochum suum accedit ab eoque scitur:

1. *Circa quaenam puncta vel argumenta principaliora versatur Const. Benedictina "Sacram. Poenitentiae" die 1 Junii 1741 a Bened. XIV lata; ab eoque brevem explicationem circa haec diversa puncta exigit.*
2. *Quaenam relatio habeatur inter hanc Const. Benedictinam et C.J.C.*
3. *Utrum ipse Canutus absolvens in aliquam censuram incurrit.*
4. *Utrum ipse parochus Canutum absolvere possit.*

SOLUTIO

AD PRIMUM:

Celebris C. Bendna. circa haec tria puncta potissimum versatur: i) sollicitationem in confessione; ii) absolutionem proprii complicis in peccato turpi; iii) denuntiationem calumniosam apud superiores ecclesiasticos confessarii uti sollicitantis in confessione. De singulis breviter.

i) De Sollicitatione

"Sollicitare" imprimis sibi vult alium quemcumque inducere directe ad peccatum contra VI pr.; aliis verbis "provocare ad turpia". Haec sollicitatio diversis modis fieri potest h.e.: verbis, signis, nutibus, tactu, scriptura tunc vel postea legenda, illicitis et in honestis sermonibus vel tractatibus.

Sed sollicitatio de qua in C. Bendna. relationem habere debet ad confessionem. Requiritur igitur ut fiat: in actu confessionis, vel immediate ante aut post confessionem, vel occasione confessionis, vel praetextu confessionis et hoc quidem vel in con-

fessionali, vel alio loco ad confessiones destinato aut electo cum simulatione audiendi ibidem confessionem.

Istis in casibus sollicitans quicumque ille est (Eppi.?) denunciandus est Ordinario loci poenitentis vel S. Officio. Ast ut habeatur vera obligatio sequentes quatuor conditiones requiruntur, i.e. sollicitatio ad peccatum turpe, graviter culpabile, certum et cum relatione ad confessionem uti supra dictum est.

Istis conditionibus existentibus, obligatio, quae nunquam extinguitur, incumbit poenitenti, et non aliis cum denuntiatio sit opus personale, intra mensem a cognita obligatione, sollicitantem denunciandi. Confessarius (non sollic.), sub gravi quoque monere tenetur poenitentem de hoc onere. Et ipse poenitens in forma judiciali, non ideo per litteras, hoc facere tenetur; quod si noluerit non potest absolvvi, et transacto mense a cognita obligatione, incurrit in excomem. nemini reservatam. Sed si nunc serio promittit se quamprimum denuntiaturum esse, a censura absolvvi potest. Quodsi postea mutata voluntate non denunfiat, catum complicitatis in confessione taceat. (Can. 2367).

Cum haec denuntiatio sit praeceptum ecclesiasticum, licet gravmum., dantur ab eo causae excusantes, et imprimis praeter impossibilitatem, excusat quocumque probabile periculum gravis amni in bonis vitae, famae et fortunae. Timor incurriendi indignationem sollicitantis aut verecundia aut gratitudo, non excusant.

ii) De Absolutione

In primis "Complex" dicitur quaelibet persona quacum Sacerdos peccatum turpe committit. "Pecc. turpe" est quodvis peccatum contra VIm. Dec. praeceptum. Requiritur tamen ut complicitas sit *formalis*, i.e. ut habeatur consensus utriusque partis in idem peccatum, et *immediata* h.e. directa peccantium actione, et peccatum sit ex utraque parte *certum, externum, grave*.

His circumstantiis habitis Ecclesia nolit Sacerdotem absolvere complicem suum; idque illum privat jurisdictione in hoc peccatum, illumque plectit excomme. specmo. S. Sedi reservata si absolvit vel fingit absolvere vel inducit poenitentem ut peccatum complicitatis in confessione taceat. (Can. 2367).

Confessarius complice suum absolvere potest tantum : a) in *periculo vel art. mortis*, si tamen "alius Sacerdos, licet non adprobatus ad confessionem" non adsit; vel si adest "sine gravi

aliqua exoritura infamia et scandalio" non possit excipere morientis confessionem, vel si moribundus "recuset alii confiteri". Extra hos casus absolutio, quamvis ex parte poenitentis esset valida, ex parte Sacerdotis est illicita et incurrit in poenas latae. (Can. 884). b) in casu urgentissimae necessitatis, saltem probabilius. Vix enim probable est S. Pontem. voluisse ut lex ista, etsi prohibens et irritans, etiam in istis adjunctis obliget.

iii) De Denuntiatione

Denuntiatio falsa confessarii sollicitantis in confessione est peccatum grave ratione sui reservatum S. Sedi (C. 894) et adnexam habet censuram speciali m. S. Sedi reservatam (C. 2363). Si quis ergo censuram non incurrit, v.g. propter ignorantiam, remanet peccatum reservatum, a quo nequit ullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi ac diuturna poenitentia.

AD SECUNDUM:

Relatio quae habeatur inter C. Bendam. et C.J. Can. est initia. Etenim tum Can. 884 qui de absolutione Complicis in peccato turpi, tum Can. 904 qui de obligatione poenitentis denuntiandi sacerdotem in confessione sollicitantem agit, ad illam C. Bendam, remittit, ita ut haec Const. in suo pleno vigore et robore extat, et ideo inter documenta authentica in calce Codicis relata (Doc. V).

In toto suo vigore dixi quamvis aliquae parvae divergentiae habentur inter Const. hanc et C.I.C. Hujusmodi sunt: 1) In C. Bendna. sollicitantes ad turpia puniendi erant ad normam Constitut. Gregorii XV, 30 Aug. 1622, i.e. suspensione ab executione ordinis, privatione beneficiorum, dignitatum et officiorum, vocis activae et passivae, exilio, damnatione ad triremes imo et carcere. (Fontes, I, p. 384). Hodie vero suspendantur a celebratione Missae et ab audiendis confessionibus, priventur omnibus beneficiis, dignitatibus, voce activa et passiva, et in casibus gravioribus degradationi quoque subjiciantur (C. 2368).

2) In C. Bendna. imponitur confessariis obligatio monendi poenitentes sollicitatos de onere denuntiandi confessarios sollicitantes et nec obligatio directa denuntiandi imponitur, nec poena in negligentes denuntiationem statuitur. Dum vero Codex

hanc obligationem directam denuntiandi statuit in Can. 904 et poenam contra negligentes in Can. 2368.

3) Neque in C. Bendna. ulla censura l.s. puniebatur peccatum illius qui falso denuntiabat confessarium de crimine sollicitationis; peccatum hoc tantummodo reservatum fuit specm. modo S. Sedi, sicut et hodie a Can. 894. Sed praeter hanc poenam hodie, per Can. 2363, falso denuntians coercetur excommunicatione speciali m. Sedi Apocae. reservata.

4) Confessarius absolvens complicem in p.t., juxta Const. praedictam incurrebat in excomm. majorem. dum vero juxta Codicem incurrit in censuram specm. modo S. Sedi reservatam. Hodie enim excommunicatio non dividitur amplius in Majorem et minorem; habentur tantum excommunicati vitandi et tolerati (C. 2258).

5) Insuper juxta novam disciplinam in delinquente, h.e. in absolvente vel fingente absoivere complicem, non requiritur amplius "ausus temerarius" qui requirebatur a C. Bendnā. Ex hoc sequitur quod a delicto absolutionis complicis ignorantia crassa et supina non excusat (A Coronata, IV, p. 521). Quod idem dicendum est quoad sollicitantes in Confessione (C. Ben. p. 1 ta Can. 2368).

6) Ficta absolutio complicis in p.t. ex claro Codicis textu certum delictum constituit; in C. Bendna. hac de re disputari poterat. Etenim non obstante responso a S. Ligorio 1751 provocato quo S. Poen. declaravit non vitari excommem. per fictiōnem absolutionis, theologi fere omnes tenebant absolutionem veram et non fictam aut simulatam delictum constituisse. Contrarium tamen statutum fuit in Const. "Ap. Sedis" anno 1869 lata, quod postea a S. Poen. die 1 Martii 1878 iterum confirmatum, et tandem, ut dixi, a Codice J.C. (Cfr. A Coron., IV, 513).

7) Et tandem facultas absolvendi proprium complicem, juxta aliquos AA. saltem, et Const. Bendna. data fuit confessario complici tantum in articulo et non in periculo mortis, quia in hac Const. mentio fit tantum de articulo et non de periculo; hodie certum est ex Can. 884 quod haec facultas extenditur quoque ad periculum mortis.

AD TERTIUM:

{Usque ad haec ultima tempora circa hanc rem AA. non conveniebant inter se. Aliqui, inter quos Cappello, Vermeersch et De Smet negabant. Ratio est quia fundamentum poenae latae

in Can. 2367 est peccatum complicitatis; sed complicitas, juxta dicta ad I, debet esse *formalis*, h.e. cum consensu utriusque partis in idem peccatum. Atqui peccatum non habetur ex parte Columbae: etenim ipsa ita se gessit cum Canuto quia fidem praestavit suasionibus ipsis. Ergo deficiente complicitate formalis, sermo esse non potest de confessario absolvente vel fingente absolvere complicem quia peccatum materiale poenitentis nunquam potest esse materia absolutionis et ideo excommunicatio specimo. m. S. Sedi reservata incurri non potest.

Alii AA., uti Arendt, quamvis vim argumenti praedictorum Auctorum cognovissent, excommunicationem incurri tenebant; ratio est quia omissione mentionis actuum turpium in confessione nil est nisi "inductio indirecta" de qua in Can. 2367, p. 2.

Quidquid sit, theoretice loquendo, de istis duabus opinionibus, certum est quod usque ad an. 1934 in praxi sequi poterat prima opinio et ideo confessarius noster, quamvis peccatum suum revera diabolicum esset, a censura excusari poterat (Cfr. P.M., III, p. 687).

Dixi "usque ad an. 1934". Etenim ad dubium "An inter indirecte inducentes, de quibus in Can. 2367, p. 2, C.J.C., adnumerandus etiam sit Confessarius qui sive intra sive extra confessionem sacramentalem, alicui persuaserit in turpibus inter se patrandis aut nullum aut certe non grave inesse peccatum eumque consequenter, de aliis tantum sibi postea confitentem sacramentaliter absolvit vel fingit absolvire", S.C.S. Off. die 16 Nov. 1934, respondit *affir.*, facto verbo cum Sancto.

Hac responsione habita non possumus amplius Confessarium de quo in casu ab incursa censura eximere.

AD QUARTUM:

Uti patet, in casu nostro agitur de poenitente cum censura specialissimo modo S. Sedi reservata. Proinde parochus, nisi facultate speciali munitus sit, normas ordinarias a jure communni statutas sequi tenetur. Et ideo a) extra periculum mortis, h.e. in ordinariis adjunctis, parochus poenitentem Canutum absolvere non potest (C. 2253)

b) in peric. mortis, utique potest, sicut quiilibet Sacerdos etsi confessarius non sit, injuncto tamen onere poenitenti recurriendi postquam convaluerit, et quidem sub poena reincidentiae, intra mensem saltem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine grave incommodo, reticito nomine, ad S. Poenit.

vel ad Episcopum aliumve Superiorem facultate praeditum et standi ejus mandatis. Quae obligatio recurrendi numquam cessat etiamsi in aliquo casu extraordinario recursus moraliter impossibilis sit (C. 2254).

(N.B. — Ordin. *per se* a Cens. modo speli. et spemo. S. Sedi reservata, nequidem in casibus occultis, absolvere potest.— C. 2237, p. 2).

c) in casu urgenti, quando nempe censura l.s. exterius servari nequeat siue periculo gravis scandali vel infamiae aut si durum sit poenitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium ut Superior competens provideat, parochus potest Cautum absolvere, injuncto tamen onere recurrendi ut supra dictum est. (C. 2254).

A. TABONE.